

sed unusquisque, patriae libertatem sibi vindicans propriam, victum proprio labore quaerit; in bellis navalibus audacissimi Tabernae non habent; magni ecclesiarum sunt cultores, pauperibus benefici decedentes decimam pecuniae, in qua fere omnia eorum bona consistunt, egentibus et cultum divinum colentibus derelinquunt. Catholici sunt inhumana et enormia crimina non habent; a convicinorum moribus sunt alieni. Foenerator nullus ibi esse permittitur; leges communes non sequuntur; sed secundum statuta propria vivunt etc. (Passi di antichi autori, riferiti da Lorenzo de Monacis, scrittore del 1300).

(31) Marcellianus, episcopus Aquilejae, sublimatus anno CCCCLXXXV; quamque Theodoricus, rex, ariana labe pollutus, catholicis episcopis non modicum minaretur, hic episcopus propterea, elapsis in sede sua annis quatuor, in Grado venit, et cum populo ibi tutato illaesam et puram tenuit fidem.

Marcellinus, episcopus Aquilejae constitutus est anno domini CCCCC; hic, natione romanus, hac sede adeptus, ut catholicum populum ab arianis, ex favore regio publice praedicantibus, in constantia verae fidei conservaret, in Aquileja residebat, aliquando Gradum veniens, ut arianorum persecutionem aliquando vitaret; tenuit episcopatum annis XV.

(32) Stephanus, episcopus Aquilejensis, creatus anno DXXI, aliquando in Aquileja, aliquando in Grado residens, annis XII pontificatum tenuit. (And. Dand., *Chron.*, lib. V, cap. 2).

(33) et evocans (Teodorico) Ravennam Joannem, dicit ad eum: ambula Constantinopolim ad Justinum imperatorem; et dic ei, inter alia, ut reconciliatos haereticos in catholica restituat religione (ubi Theodoricus arianos catholicos appellat et haereticos qui catholicam religionem suscipere coacti fuerant). Cui papa Joannes ita respondit: quod factururus es, rex, facito citius; ecce in conspectu tuo adsto: hoc tibi ego non promitto me facturum, nec